DE

FINIBUS INTER CIVITATEM ATQUE ECCLESIAM CAUTE REGUNDIS.

COMMENTATIO JURIS PUBLICI

QUA

VIRO PERILLUSTRI,

JURIUM CONSULTISSIMO, GRAVISSIMO

CHRISTIANO JACOBO EISENSTUCK,

SUPREMI COLLEGII, QUOD IN SAXONIA REGIA JURISDICTIONI PRAEFUIT, PRAESIDI MERITISSIMO, CONSILIIS DE REPUBLICA SUMMIS ADSCITO, ORDINIS SAX. CIV. VIRTUT. CENTURIONI,

SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES,

QUOS ANTE HOS QUINQUAGINTA ANNOS CONSECUTUS EST,

PIE GRATULATUR

D. FRIDERICUS HAENEL,

POTENTISS. REGI SAX. A CONSIL. ECCLES. INTIMIS.

DRESDAE MDCCCXXXV.

PROSTAT IN LIBRARIA CH. F. GRIMMERIANA.

EISENSTUCKIO,

VIRO PERILLUSTRI, SALUTEM

AUCTOR.

Tu, Vir Perillustris, ante haec decem lustra summos in jurisprudentia honores adeptus, hodie iisdem fere et animi et corporis viribus polles, quibus illo tempore fruebaris, cum Tibi et istam lauream parares et viam ad longe altiora aperires. Quod quo rarius mortalibus contingere solet, eo minus has longi spatii metas Te sine manifesto pietatis atque amoris in Te mei documento praeterire volui.

Quum primum in lyceo Annabergensi, deinde in academia Lipsiensi et in Georgia Augusta, quae tum Pütteri, G. L. Böhmeri, Spittleri, Kästneri, Lichtenbergii aliorumque inclytis nominibus splendebat, literis operam dedisses, ibique inter alia etiam quae ad juris publici et gen-

tium disciplinam pertinent studia sedulo et felicissimo successu tractasses, Dresdam Te contulisti, ut causis orandis, quae erat in Te eruditionis copia et in rebus gerendis dexteritas, civibus prodesses. Inter haec die II. Junii MDCCLXXXV scripta atque publice defensa dissertatione: de modo superioritatis territorialis jura contra eos, qui se illi subjectos esse negant, legitime persequendi, in academia Lipsiensi juris utriusque doctor creatus, inde Dresdam reversus, paucis annis interjectis in numerum eorum, qui tum Serenissimo Electori Saxoniae a consiliis provocationum erant, allectus, mox in Summum Regiminis collegium evocatus, hujus saeculi initio locum Referendarii, quem vocant, intimi in sacro Principis consistorio ita occupasti, ut, si quando maluisses, reditum in Regiminis collegium cum pristina conditione Tibi reservares. Qua reservatione insequente tempore usus paullatim in collegio illo, quod tum tribus constabat partibus, ad munus directoris alterius ejus partis

ascendisti, denique anno MDCCCXXXI, antiquato illo et novis collegiis, quorum alteri juris, alteri reliquae administrationis publicae provincia committebatur, in locum ejus suffectis, Tu, quum juris peritia excelleres, collegio, quod jurisdictioni praeerat, jussu Potentissimi Regis atque Serenissimi Principis Regni Socii, qui Te et supremis de republica consiliis adhibuerunt, et ordinis virtutis civicae insignibus secundae classis decoraverunt, praefectus es: et in hoc culmine permansisti, usque dum novissime, omni judiciorum superiorum ordine in Saxonia nostra inverso et in totum reformato, Tuo quoque tribunali aeternum justitium indiceretur.

Quibus omnibus Tu quidem non ita doctorem juris Te praebuisti, ut adolescentes juris studiosos e cathedra doceres: quippe qui alias vitae rationes sequutus, illam viam ingressus non eras. Sed, quod longe majus est, exempli Tui summa gravitate, rectissimo, quo justitiam tuebaris, legum usu, virtutis candore et inte-

gerrima morum sanctitate, egregius artis aequi bonique sacerdos, semina justitiae sparsisti, quae omnibus juris cultoribus, tam docentibus quam discentibus fructuosa, alteri quoque saeculo profutura sint. Tu, Vir Summe, mira ingenii sagacitate, mira legum et latarum scientia, qua vix ullum Tibi parem habebis, et ferendarum prudentia, eum Te praestitisti, ut veram illam, non simulatam philosophiam, qua magnus ille Domitius Ulpianus tam apud suos quam apud posteros inclaruit, non modo affectaveris, sed prorsus Tuam feceris. Quid autem dicam de amore patriae atque fide? quorum ille in Te tantus est, ut nec priscae Romanae virtutis splendidissimis exemplis superetur, hanc autem tam sancte colis, ut Tuam ipsius salutem pro ea devovere nullo non tempore paratus fueris. Quid enim? Quum jam puer xi annorum L. Annaei Senecae opera legisses, Stoicorum praecepta ita animo Tuo impressisti, ut, humanae sortis inconstantiam mature contemnens, severitatem humanitate, judicii acumen atque ri-

gorem benivolentia temperare, et officio omnia posthabere didiceris.

Sed taceam, ut modestiae TUAE, meritorum TUORUM unice aemulae, parcam. Illud enim non vereor, ne ego, qui arctiori sanguinis vinculo TIBI junctus sum, si plura de egregiis TUIS virtutibus addiderim, immodestior videar, quasi gloriae TUAE aliquam partem in meam laudem redundaturam esse sperem. Nam qui me norint, facile scient, me non vanae laudis sed veritatis studio moveri, et quae dudum in pectore habuerim, jam publice de TE profitendi opportunitatem, diu desideratam, solatio et voluptati habere.

A teneris inde tanto me amore amplexus es, ut hoc amore dignum fieri TIBIque non dissimilem aliquando futurum esse, maxima mihi laus videretur. Et quum mater mea, soror TUA carissima, quae dudum pie defuncta in aeterna luce requiescit, semper in deliciis TE habuerit, nihil unquam ardentius mihi in animo fuit, quam maternae in TE pietatis heredem fieri.

Munusculum autem, quod sequentibus

plagulis Tibi offero, haud gravate accipias velim, et, quum per se sit exiguum, non suo, sed pii erga Te animi, quam Tibi testificari volui, pretio aestimes.

Neque mireris, quod ego ad Te verba facturus argumentum juris publici ecclesiastici, idque notissimum et vexatissimum: de finibus inter civitatem et ecclesiam caute regundis, elegerim. Tu enim non modo ab ecclesia et ecclesiasticis studiis minime alienus, sed in omni jure, tam divino quam humano, publico et privato, domestico et peregrino, tantus es, ut in universo hoc genere nil sit, quod Te non judicem gnarum, expertum et paratissimum reperiat. Illam autem controversiae propositae partem, qua, a definitione systematum, quae collegiale, episcopale et territoriale vocant, exorsa, saepe de verbis magis quam de rebus disceptatur, consilio intactam reliqui, cum et longiorem tractatum desideret, et nuperrime Scheidlerus, professsor juris Jenensis, (in Pölitii annalibus historiae atque politices, superioris anni mense Decembri, et hujus anni mense Majo) hu-

jus rei mihi otium fecerit. Antiquius habui, iis, qui ecclesiae atque civitatis absolutam unitatem defendunt, quorum inter alios Henr. Stephani agmen et coepit (scripto: *die absolute Einheit der Kirche und des Staats. Würzb.* 1802.) et clausit (cfr. infra §. 6. not. 27.), paucula ex penu mea opponere, de quibus, ut subito et inter continuos muneris publici labores breviter conscriptis, indulgentius quaeso judicium feras. Postremo hoc monere liceat, me illa scribentem minime eorum, quae in hac nostra republica aguntur et fient, interpretem vel praeconem agere, neque pro muneris publici, quo fungor, ratione dicere voluisse, sed meo tantum judicio usum, quam ipse mihi de re proposita sententiam in mente conformaverim, in medium protulisse; quanquam nihil inest, quod juri publico, quo in Saxonia utimur, repugnet.

Sic vale, mi Avuncule! Velit Deus optimus maximus prosperrimam valetudinem et juvenile robur, quo viges, in multos annos illibatum Tibi conservare, ut, postquam vitam omnis laudis plenam solis rei-

publicae utilitatibus impenderis, jam aliquando Tibi vivere, et literis, quae Te semper cultorem habuerunt elegantissimum, honestissimo otio vacare possis! — Vale meque amare perge! D. Dresdae d. II. Junii MDCCCXXXV.

DE FINIBUS INTER CIVITATEM ATQUE ECCLESIAM CAUTE REGUNDIS.

§. 1.

De notione ecclesiae theologica.

Notio ecclesiae vario modo constitui potest, vel secundum doctrinam theologorum, vel secundum normam juris: haec autem vel ex jure, quod vocant, positivo, vel ex jure naturali, quod ex mera ratione fluit et omnibus gentibus est commune, descendit.

De eo, quod theologi de ecclesia sentiant, pauca tantum monere lubet, ne alienam provinciam invasisse videamur. Nec, si id ageremus, ad rem nostram multum proficeremus, propterea quod ex scriptura sacra notionem ecclesiae illi repetunt, quam diversimode interpretantur, ut de ipso rei capite parum inter ipsos constet. Dum enim Catholici statuunt, Christum ipsum per Petrum apostolum in urbe Roma ecclesiam condidisse unam, universalem, eamque faciunt societatem inaequalem, cujus imperium singulari ordini clericorum, obtemperandi

officium autem reliquo omni populo (τῷ λάῳ) tribuunt, Evangelici contra, praeeunte confessione Augustana art. VII., unam quidem et perpetuo mansuram sanctam ecclesiam admittunt, sed illis de Petro ecclesiae conditore narratis fidem denegantes, non eos, quos Curia Romana voluerit, sed potius, qui purissimam et sancto Evangelio accommodatissimam de Deo rebusque divinis cognitionem habuerint, vera esse ecclesiae membra arbitrantur, et paulo verecundius atque aequius melius, opinor, quam illi, ecclesiae societatem faciunt aequalem, in qua non imperii potestatem, sed solam evangelii docendi atque sacramentorum administrandorum provinciam ordini suo asserunt. Utrum dominus Jesus Christus ipse ecclesiam condiderit visibilem, nec ne, quaeri quidem atque ingeniose tractari potest [1]). Sed vereor ut etiam haec disquisitio ad veram ecclesiae indolem, qualis nostris temporibus in nostris civitatibus esse debeat, cognoscendam quicquam momenti sit factura, quum sit earum numero, quae quo subtilius tractantur, eo implicatiores fiunt. Equidem quanquam hanc rem haud plane intactam reliqui, sed loca sacrae scripturae in fidem rei allata sedulo inspexi, tamen, donec meliora a doctioribus edocear (nam forte simplicitas mea et doctrinae sublimioris ignorantia mihi praestringit oculos), non

1) Quod nuper factum est a H. F. Jacobson (*kirchenrechtliche Versuche zu Begründung eines Systems des Kirchenrechts Bd. II. no. VI. p.* 131 *ff.)* qui et de origine Teutonicae vocis *Kirche* doctissime et copiosissine scripsit *(ibid. Bd. I. no. II. p.* 58 *ff.)*

aliud quidquam extricare potui, quam: dominum salvatorem voluisse quidem propagari evangelium suum per omnam terrarum orbem, et servari in omne aevum, constituisse etiam legatos, qui hoc negotium arduum et discriminis plenum perficerent, et praecepisse, ut qui ipsi fidem essent habituri, communiter Deum colerent, quoque tutius et rectius id fieri posset, mutuum inter se auxilium sibi praestarent [2]. Sed quam formam illa communio fidelium, posteaquam omnes fere gentes ad sacra Christiana transiissent, deberet induere, quae jura a summis imperantibus ipsi essent tribuenda, quaeque necessitas juberet cives alicujus reipublicae, quum omnes facti essent Christiani, rationes ecclesiae a rationibus civitatis separatas habere, de eo nihil cautum invenio, neque etiam impetrare a me possum, ut existimem, Christum pro summa sua sapientia, qua divinitus erat imbutus, tale quid cavere voluisse.

§. 2.

De notione ecclesiae ad normam juris.

1) *prolusio historica.*

Haud omnino facile est, ecclesiam ad normam juris definire, quoniam ideae theologicae semper se insinuant, et quasi nimbum objiciunt, ut veritas rei vel ab altius indagare volentibus vix cerni queat. Quod tum maxime verum est, quoties agitur non de domo, qua conventus Dei colendi causa haben-

---

2) Matth. XVI. 18. XVIII. 20. XXVIII. 19. Ev. Johan. XIII. 34. sq. Act. Apost. XIX. 39 sq.

tur (templo) ejusque juribus, sed de ecclesia latius accepta, quatenus omnes ejusdem religionis cultores vel intra vel extra fines alicujus reipublicae commorantes complectitur. Imo fuere, qui omnem omnino ecclesiae notionem e limitibus jurisscientiae extorrem facerent, eamque nonnisi ex mente theologorum construi posse putarent [3]. Hoc quidem fatendum est, in actis juris publici et pactis gentium inter se saepissime haud alio sensu ecclesiae mentionem fieri, quam ut locus templi alicujus cum ipsius ministris atque annexis designetur, contra autem quoties de coitione hominum communem aliquam fidei formulam atque sacrorum institutionem sequentium agatur, aliis verbis id exprimi. Sic v. gr. in tractatu Passaviensi die 2. Aug. 1552, in pace religiosa die 25. Sept. 1555, et in instrumento pacis Osnabrugensis anno 1648 facto (art V.) saepius de hac vel illa parte *(Religionstheil)*, de utriusque partis religione *(Religion)* vel sacris *(Kirchengebräuche)*, de hujus vel illius religionis consortibus *(Religionsverwandte)*, nusquam autem de ecclesia Romano-Catholica vel Evangelica legitur; quanquam vix aliter fieri poterat, ubi inter Catholicos et Protestantes res agebatur, quorum illi aliam ecclesiam, quam suam, secundum mentem Pontificiorum non agnoscebant. Iisdem fere verbis in recessu, quo de conditionibus tradendae Lusatiae conventum est d. 30. Maji 1635 art. *Erstlich dass Ihre Churfürstl. Durchlaucht etc.* usi sunt paciscentes; et

3) Droste Hülshoff *Grundsätze des gemeinen Kirchenrechts* §. 2—4.

pariter in mandato Regis Saxoniae de exercitio cultus Romano-Catholici in his terris dato d. 16. Febr. 1807, et quae illud consecutae sunt legibus, ad utriusque religionis consortes significandos non ecclesiae vocabulum sed alia (veluti: *Confession*, *Gottesdienst*, *Unterthanen beider Religionen*, *Confessionsverwandte*) adhibita sunt. Idem in conventione die 28. Aug. 1819 inter regem Saxonicum atque Borussicum inita art. II. comm. 8. factum est.

Ulterius haec persequentem me, quum ad pactiones a Romano pontifice cum regibus principibusque populorum Christianorum concordi placito iniri solitas me convertam, haud quidem fugit, in hisce pactionibus de ecclesia sensu magis generali saepissime sermonem fieri [4]). Sed ea res parum me movet, si quidem in ejusmodi pactionibus stylus curiae Romanae magis, quam ea ipsa dicendi ratio, quae summis juris publici universalis principiis constanter respondet, adhibetur, neque verba nimis premuntur, dummodo res ipsa servetur.

Longe autem aliter res se habet, ubi in actis recentiorum temporum, quibus jura summorum imperantium atque populorum inter se constituta atque ordinata sunt, etiam jura ecclesiarum ita in censum

---

4) Veluti his verbis: les affaire de l'eglise, les maux qui affligent l'eglise, cupientes ecclesiae negotia componere, secundum doctrinam ecclesiae, ecclesia atque ipse status etc. Et ita ex. gr. in pactis a sede Romana cum imperatore Francorum anno 1811, cum rege Francogalliae d. 11. Jun. 1817, cum rege Bavariae d. 24. Oct. 1817, et cum rege Hollandiae d. 18. Jun. 1827. conventis legitur.

vocantur, ut iis societatum religiosarum longe lateque patentium *(Kirchengesellschaften, Landeskirchen)* natura tribuatur. Hoc enim notionem ecclesiae ampliorem, etiam juris significatu, perhibet. Idque factum est in omni fere Germania, v. gr. in Bavaria [5]), magno ducatu Badensi [6]), regno Würtembergico [7]) electoratu Hassiae [8]), ducatu Saxonico Altenburgensi [9]), regno Hannoviae [10]), et magno ducatu Hassiae [11]). Imo verba Legis Fundamentalis Regni Saxonici de anno 1831 §. 57., (quae ita se habent: *Der König übt die Staatsgewalt über die Kirchen* [jus circa sacra], *die Aufsicht und das Schutzrecht über dieselben nach den diessfallsigen gesetzlichen Bestimmungen aus, und es sind daher namentlich auch die geistlichen Behörden aller Confessionen der Oberaufsicht des Ministeriums des Cultus untergeordnet. Die Anordnungen in Betreff der innern kirchlichen Angelegenheiten*

---

5) Edictum regis Bavariae d. d. 26. Maji 1818 *(über die äusseren Rechtsverhältnisse des Königreichs Bayern in Beziehung auf Religion und kirchliche Gesellschaften).*

6) Edict. magni ducis Badens. d. d. 22. Aug. 1818. §. 19.

7) Lex fundamentalis regni Würtemberg. d. d. 25. Sept. 1819. §. 71. 75. 78 sqq.

8) Lex fundamentalis elect. Hassiae d. d. 5. Jan. 1831. §. 132—135.

9) Lex fundament. ducatus Sax. Altenburg. d. d. 29. Apr. 1831. §. 128 sq.

10) Lex fundament. regni Hannoviae d. d. 26. Sept. 1833. §. 57 sqq.

11) Edict. magni ducis Hassiae d. d. 6. Jun. 1832. *(die Organisation der Behörden für die evangel. Kirchenangelegenheiten betr.)* art. 1. 2.

bleiben der besondern Kirchenverfassung einer jeden Confession überlassen) certissime non solum de singulis templis et paroeciis, sed potius de ecclesiis majoris ambitus, inter se diversis, quarum suis quaeque statutis regitur, intelligenda sunt. Quare si qui sunt, qui ecclesiam compositam, ultra fines paroeciae se extendentem (cf. §. seq.), subjectum juris esse negent [12]), non modo a jure canonico, verum etiam a sapientissimis hujus aetatis legumlatoribus longe abhorrent.

§. 3.

2) *notio ecclesiae ipsa.*

Quibus praemissis, sive historiam spectes, sive ipsam rei naturam intuearis, haud procul a vero aberraveris, si ecclesiam in universum dixeris esse consociationem hominum eandem fidem Christianam profitentium, de cultu Dei externo secundum communem normam instituendo. Haec definitio omnibus ecclesiis Christianis convenit, et conveniret etiam secundum mentem exterorum, si v. c. veterum jurisconsultorum aut philosophorum, qui ante Christum vixerunt, aliquis e mortuis rediret, ut de statu religioso nostratium sententiam ferret. Non dicimus ecclesiam societatem, quoniam societas apud

---

12) cf. GÜNTHER: *In wie weit ist die Kirche ein Rechtssubject? in Pölitz Jahrb. d. Gesch. u. Staatskunst Sept.* 1833, et quae contra eum disputata sunt sub titulo: *Ist die Kirche ein Rechtssubject?* in ephemeridibus: *das Vaterland, oder Blätter für deutsches Volks- und Staatsleben; herausgeg. von Prof. Bülau u. Weiske. Leipz. d.* 10. *Sept.* 1833. *no.* 73. *p.* 349—351.

jurisconsultos aliquid proprii in se habet, quod utrum cadat in ecclesiam nec ne, adhuc in dubium vocatur [13]), et a nobis alio forte loco accuratius disquiretur. Hoc loco vox illa vitanda erat, ne forte in gyrum agi videremur. Neque etiam dicimus congregationem, quia haec multitudinem in unum coactam significat, quod non utique cadit in ecclesiam. Ceterum sine aliqua conjunctione et communi vinculo ne cogitari quidem potest ecclesia: quare si quis ita velit definire, esse ecclesiam multitudinem hominum, qui eodem modo deum colant, non recte se haberet haec definitio, quoniam accedere oportet conscientiam et voluntatem consensus aliorum et communionis fidei. Deinde praeter cultum divinum, qui cerni potest, et praeter fidem, quam quisque publice profitetur, nil amplius est requirendum, neque flagitandum, ut pariter omnes sentiant, et eadem omnia ex ima animi sententia communiter credant. Hinc cultum externum tantum, et professionem fidei, non autem cultum internum, neque sensus de religione atque cogitationes, quas pro se quisque in animo suo fovet, ad notionem ecclesiae pertinere putavi. Denique non est dubitandum, quin communis norma cultus divini in quaque ecclesia sit necessaria. Neque si hic illic pauca sint diversa, protinus communitas normae illius neganda. Sat est enim in plurimis iisque maximis consentiri, neque omnia ad vivum sunt resecanda [14]).

Potest autem ecclesia pro ambitu, in quem se

---

13) *Günther a. a. O.*

14) Confess. Augustana art. VII. *Bretschneider Allgem. Kirchenzeitung v.* 1834. *d.* 28. *Dec. no.* 206. *S.* 1688.

exserit, esse vel universalis, quae omnes ejusdem religionis consortes per omnem terrarum orbem comprehendit, vel particularis, quae intra alicujus terrae, civitatis vel provinciae fines se continet, vel denique singularis, quae ad certum aliquem locum religiosum, quo cultus exercendi causa conveniunt, adstricta est. Universalis atque particularis uno verbo appellantur ecclesiae compositae, singulares vero simplices. Particularis secundum patriae nostrae conditionem duplicem, qua non modo arctiori sensu aliquam partem Germaniae in reipublicae formam redactam, sed insuper etiam universam Germaniam unitam significat, nobis est vel ecclesia specialis, veluti Saxonica, vel Germanica communis.

§. 4.

Finis ecclesiae.

Summus ecclesiae finis non is est, ut mores hominum emolliantur, nec ut tutius, melius beatiusque inter se vivant, neque ille finis est illud nudum: consonanter, συμφώνως, ὁμολογουμένως vivere, sive secundum naturam (κατὰ φύσιν) vivere, in quo philosophi Stoici finem bonorum quaesierunt, neque etiam honestas per se suaque vi et dignitate expetenda, quae M. Tullio Ciceroni summa sapientia visa est [15]. Sed finis ecclesiae est idem, qui finis religionis, id est, sanctissimae Supremi Numinis voluntati et benivolentissimo ipsius de immortalium animarum salute con-

15) Cicero de finib. bon. et mal. Lib. III. §. 5. 6.

silio convenienter vivere. Patet igitur, eam proprium, qui summus omnium et verum τέλος τῶν ἀγαθῶν praedicandus est, finem habere, neque adjutricem duntaxat et viam esse ad messem alienam colligendam. Hinc etiam sapientissimus ille paganorum Socrates, teste Xenophonte [16]), non id docuit, deos esse colendos, ut homines meliores fierent, sed potius, honeste vivendum, et facienda deorum imperata, quo rectius illi colerentur, et debitae illis gratiae referrentur. Hic amor Dei invictus et immutabilis, haec grata pietas erga Deum, haec voluntas sincera, ad ipsum omnia referendi, quae est nobilissimus atque purissimus animi sensus, qui in immortali hominis anima enasci potest, omnibus praestat, quae ulla ars politica vel philosophica excogitare poterunt.

Dixi autem, ecclesiae finem eundem esse, qui et religionis, quoniam non nisi religionis causa conditur ecclesia, eaque aliud quidquam, nisi religionem ipsam, sine maxima suaemet ipsius causae proditione velle non potest.

§. 5.
Notio civitatis.

Civitas (res publica) est conjunctio hominum in aliquo territorio sub communi imperante mutuae securitatis atque justitiae tuendae causa inita. Alii alia immiscent huic definitioni, veluti Cicero, qui civitatem ait esse utilitatis communione sociatam, et Ev. Otto, qui eam communis salutis causa con-

---

16) Xenophontis memorabilia L. IV. c. 3. §. 15—17.

tractam perhibet. Sed haec, ut statim apparebit, non pertinent ad caput rei, neque ita sunt comparata, ut sine iis indoles civitatis non possit intelligi.

§. 6.

Finis civitatis.

Si quis igitur quaerat, quem in finem homines in civitates coierint, in promtu est responsio, securitatis mutuae atque justitiae tuendae causa id factum esse. Ita enim inter summos et jurisconsultos et philosophos constat. Nam si civitas non esset, de omnibus ad vitam necessariis manu atque armis decertaretur, alter alteri vim inferret, et inferior fortiori succumberet. Si judicia non essent, ait Hobbesius, unus homo alterum devoraret. Nunc autem societate civili, quae appellatur civitas, constituta, ordine lites dirimuntur, et quisque a laesionibus aliorum abstinere et suum cuique tribuere jure cogitur. Sic Medi sapienti consilio Deiocen regem sibi crearunt, ut justis legibus regerentur, et tuti ab injuriis aliorum pro se quisque operi vacare possent [17]). Hinc C. S. Pufendorfius [18]) *metum* esse statuit causam civitatum. Hinc Im. Kantius [19]) docet, pro se quem-

---

17) Herodotus Lib. I. cap. 96, 97. „*Οὐ γὰρ δὴ τρόπῳ τῷ παρεόντι χρεώμενοι δυνατοί ἐσμεν οἰκέειν τὴν χώρην· φέρε, στήσωμεν ἡμέων αὐτῶν βασιλέα· καὶ οὕτω ἥ τε χώρη εὐνομήσεται, καὶ αὐτοὶ πρὸς ἔργα τρεψόμεθα, οὐδὲ ὑπ᾽ ἀνομίης ἀνάςατοι ἐσόμεθα.*“

18) Jus naturae et gentium L. VII. c. 1. §. 7.

19) *Metaphysische Anfangsgründe des Rechts Einl.* §. C. *und* 2. *Theil* §. 43.

que ita se gerere et libero suo arbitrio uti debere, ut ipsius libertas cum omnium aliorum libertate communi lege stare possit, idque postulare naturalem rationem: civitates vero condi, ut huic legi rationis satisfiat, et praecepta juris eventum habeant. In eandem sententiam abit A. C. Schlözerus [20]) monens, eo tantum consilio quemque hominem summo imperanti se submittere, ut tanta libertate, quanta salva aliorum libertate possit, tuto fruatur, similis ei, qui partem lucri sperati praemii loco alteri cedat pro periculo navigationis, quod ille in se receperit. Pari modo Thibautius [21]) in securitate juris naturalis perfecti (*Sicherheit des natürlichen Zwangsrechts*) et Pölitzius [22]) in summo valore juris per vim legitimam obtinendo, finem civitatis ponunt. Klüberus, magnus ille juris publici in Germania professor [23]), propriam civitatis naturam in eo consistere censet, ut securi ab omni parte homines praestentur (*zu allseitiger Sicherheit*), idque non male, propterea quod etiam ad injurias exterorum fortius propulsandas in unum cives coe-

---

20) *Allgemeines Staatsrecht (Götting.* 1793.*)* pag. 94.

21) *Juristische Encyclopädie (Altona* 1797.*)* §. 15. *u.* 54.

22) *Die Staatswissenschaften im Lichte unserer Zeit (Leipz.* 1827.*) Th. I. Staatsrecht* §. 3. pag. 151. *„Der Zweck des Staates ist daher: die unbedingte Herrschaft des Rechts unter der Bedingung des rechtlich gestalteten Zwanges zu verwirklichen."*

23) Quem ego, quum adhuc Heidelbergae doceret, audivi, *in: Staatsrecht des deutschen Bundes (Frankfurt* 1831.*)* §. 1.

unt. Plura denique dabit vir illustris C. S. ZACHARIAE in libris de republica [24]).

Quod autem a quibusdam salus publica omnis generis atque summum bonum in universum ad finem civitatis refertur, id quidem in tantum verum est, ut recte faciant, qui summa potestate recte et modice utantur ad salutem omnium augendam, quo uberius cives fruantur commodis, quae, ut ait Pufendorfius, ex hominibus in homines provenire apta sunt. Sed hic usus salutaris supremae potestatis nec ultra modum proferendus est [25]), nec ita necessario pertinet ad materiam civitatis, ut sine eo civitas esse non possit. Quare acute et naturae rei convenienter disserunt, qui hunc finem civitatis secundarium tantummodo appellant *(den erweiterten, entfernten, mittelbaren Staatszweck)*: quo sensu etiam artes et morum emendatio ad finem civitatis referri solent [26]). Sed quemadmodum is solum-

---

24) *Vierzig Bücher vom Staate Bd. I.* pag. 214. *ff.* 8*tes Buch Cap.* 1. „*Der Zweck des Staates ist, die Herrschaft der Gerechtigkeit zu gründen.*" *Cap.* 2. „*Der Zweck des Staates ist, die Herrschaft des Rechtsgesetzes durch äufsere Macht zu gründen.*" *Cap.* 3. „*Dafs der Zweck der Staaten nicht die Wohlfahrt der Menschen überhaupt sey.*"

25) *Diejenige Beglückungsgewalt, welche Alles in Vormundschaft zu nehmen trachtet, ist ausgeschlossen.* KLÜBER *a. a. O. not. a.*

26) PUFENDORFIUS loc. laud. „Postquam autem ita dispositi fuere homines, ut a mutuis laesionibus securi esse possent, facile consecutum deinde fuit, ut eo uberius fruerentur commodis, quae ex hominibus in homines pro-

modo bene docet, qui bene distinguit, ita haec quoque distinctio constantissime tenenda est, et quoties id agitur, ut propria civitatis indoles perspiciatur, subsistendum in fine primario, qui ipsi proprius est, nec facile excurrendum in alia, quae etiamsi non aliena sint a civitate, tamen ab ea abesse vel etiam citra eam locum habere possunt [27]).

§. 7.

Non confundendam esse civitatem cum ecclesia.

His praemissis facile apparet, ecclesiam et civitatem, quoniam diversos habent fines [28]), non unum idemque esse, neque illam solummodo particulam hujus efficere, sed esse aliquid per se spectandum, quod, licet in ipso civitatis territorio vitam agat, multosque ejus cives recipiat, et generali ipsius lege teneatur, tamen ad instar aliarum personarum aliorumque sodalitiorum in repu-

---

venire apta sunt etc." Pölitz *Staatswissenschaften Th. I. Staatsrecht* §. 4. pag. 154. Krug *Handb. der Philosophie. Th. II.* pag. 182. *ff.*

27) Quo jure H. Stephani *(in Weiss Archiv der Kirchenrechtswissenschaft H. I.* 3. pag. 92.) asserere potuerit, plurimos rerum publicarum scriptores inconditam illam, ut ipsi quidem videtur, de statu juris doctrinam jam dereliquisse, et quo fonte id hauserit, difficile est intelligere.

28) Adde S. Pufendorfium de habitu religionis Christianae §. 5. „E superioribus quoque colligitur, propter religionem civitates non esse institutas, seu homines non ideo in civiles societates coivisse, ut religionem invenirent vel eidem vacarent."

blica locum habentium, propria vi et proprio quasi spiritu continetur.

Multa sunt, quae se invicem ament et attrahant, nec tamen ideo in idem coeant, veluti duo rivi, qui ex diversis fontibus orti eadem quidem valle, diversis tamen alveis, in eundem locum profluentes, manent diversi, licet eundem fere cursum tenentes, haud procul a se invicem finem attingant. Haud aliter ecclesia et civitas sunt inter se diversa, quamquam non obstantia nec inter se pugnantia [29]).

Ubi pons est, non opus est navigiis, ratibus, lintribus et scaphis ad trajiciendum: et quamquam navigia quoque ad superandum fretum sunt apta, et ipsorum ope ad adversum litus perveniri potest, tamen non sunt idem, quod pons. Cui eo quidem praestant, quod ad alias quoque litoris partes, ad alias insulas transitum praebeant: sed ad eum ipsum locum, qui ponte jungitur, neque tam cito, nec tam commode, nec tam tuto navigantes accedent, quam qui ponte utuntur, praesertim si litus sit arduum, praeruptum et inaccessibile. Hinc si vel maximas classes instruxerit civitas, quibus cives suos in portum aeternae salutis perducat, tamen ideo nec ipsam ec-

---

29) Cujusmodi est, quod Isidorus Pelusiota, monachus Aegyptiacus, saeculo quinto dixisse fertur: *ἱερωσύνη καὶ βασιλεία εἰς ἕν ὁρῶσι τέλος, τὴν τῶν ὑπηκόων σωτηρίαν.* — Et nuperrime incertus auctor *(im Vaterland Dec.* 1834. *No.* 97. pag. 398.*): In der That wirkt die Kirche für die Zwecke des Staates, aber nicht um dem Staate zu nützen, nützt sie ihm.*

clesiae naturam induet, nec superfluam reddet eam, qua, quoniam in id ipsum est comparata, tutius trajicitur.

§. 8.

Quod multis auctoritatibus confirmatur.

Haec sententia de civitatis et ecclesiae indole diversa a plurimis iisque spectatissimis juris naturalis, gentium atque civilis auctoribus miro consensu comprobata est. Testes sunt inter alios S. de Pufendorf [30]), J. H. Böhmer [31]), G. L. Böhmer [32]), G. A. L. Schlözer [33]), G. Wiese [34]), C. G. de Weber,

---

30) De habitu religionis Christianae, Praefat. „Aliis contra persuasum fuit, ecclesiam cum ipsa civitate plane confundi atque uniri, postquam principes juxta civesque nomina sua Christo dederunt, sic ut istis pari jure circa negotia sacra, quam civilia disponere fas sit. Utrumque errorem alius error sequitur etc."

31) Jus Eccles. Protest. T. I. Lib. I. Tit. 33. §. 37. „Hujusmodi formae tantum cadunt in statum civilem et rempublicam, qualis conceptus ab ecclesia debet esse alienus, quae non rempublicam, sed societatem aequalem in republica constituit."

32) In Principiis juris canonici.

33) *Allgem. Staatsrecht* pag. 21. *„Die Religionsideen gehen nur den Menschen, nicht den Bürger an."* pag. 70. *ff.* *„In der allgemeinen Gesellschaft können einzelne, in gleichem Streben nach Menschenglück, entstehen. — So stiften sie eine Religionsgesellschaft; die grofse Gemeinde mufs sie nicht nur entstehen lassen, sie mufs sie sogar schützen. Die Ideen und Handlungen der einzelnen Gilde gehen jener nicht weiter an, als dafs sie nur dem Bürgervertrag nicht zuwider seyn dürfen."*

34) *Handbuch des Kirchenrechts Th. I.* §. 11. *ff.* *u.* §. 23. *ff.*

vir juris ecclesiastici peritissimus [35]), C. F. Eichhorn [36]), C. S. Zachariae [37]), C. H. L. Pölitz [38]), J. L. Klüber [39]), Ans. de Feuerbach [40]) et Bickellius [41]): — quos omnes non modo causae, quam defendo, firmandae, sed etiam honoris causa nomino.

§. 9.

Quid si omnes cives ejusdem sint religionis?

Nec ad rem pertinet, quod in quibusdam terris ita uniformis est rerum Christianarum conditio, ut

35) *Handbuch des im Königreich Sachsen geltenden Kirchenrechts Th. I.* §. 1.

36) *Grundsätze des Kirchenrechts Th. I.* pag. 456. 556.

37) *Vierzig Bücher vom Staate Bd. IV.* 34*stes B.* pag. 248. *„Man kann den Unterschied zwischen dem Systeme des Religionszwanges und dem der Religionsfreiheit in der jetzt üblichen Sprache so ausdrücken, dafs nach dem ersteren Systeme Kirche und Staat, Staat und Kirche eins sind, nach dem letzteren aber die Kirche vom Staate gesondert ist. Nach dem ersteren Systeme steht der Mensch nur unter einem einzigen Gesetze, unter dem Gesetze Gottes oder unter dem des Staates, nach dem letzteren Systeme steht er sowohl unter dem einen als unter dem anderen Gesetze, hat die Religion ihr besonderes Gebiet, und der Staat das seinige. Da dem Christenthume das letztere System zum Grunde liegt, so etc.“*

38) *Staatswissenschaften a. a. O.* §. 38. 39.

39) *Staatsrecht des deutschen Bundes* §. 506. *ff.*

40) *Eine längst entschiedene Frage über die obersten Episcopalrechte der evangelischen Kirche, von neuem erörtert von F***. Nürnberg.*

41) *Ueber Kirchengewalt und deren Ausübung, nebst einer Uebersicht der neueren darauf bezüglichen Schriften: in* Schunk's *Jahrb. der juristischen Literatur* 1828. *Bd.* 8. pag. 40. *ff.*

omnes cives una eademque sacra amplectantur. Nam quod fortuito quodam eventu accidit, et quovis temporis momento novis factis intervenientibus in aliud mutari potest, immerito adhibetur ad constituendam veritatem perpetuam et ubivis valituram. Praeterea in Saxonia et in omni Germania, quod sciam, diversa obtinent sacra, quum alii Romano-Catholici, alii Protestantium cultui addicti sint. Postremo, qui non plane hospites sunt in jure, probe norint, eundem hominem plures sustinere personas, et pluribus sodalitiis, modo ne inter se pugnent, nomen dare posse. Qui conjugem duxit et liberos sustulit, et maritus est et parens, nec tamen haec sunt ejusdem et dignitatis et officii. Pari ratione Hugo Grotius, quum ageret de imperio et sacerdotio: „Neque enim, ait, statim sequitur, quae diversa sunt, ea uni atque eidem competere non posse. Potest enim idem esse et cantor, et medicus, neque tamen aut canendo medebitur, aut medendo canet"[42]. Quare iidem poterunt esse et cives reipublicae et membra ecclesiae, neque tamen obtemperando legi civili continuo omnia vota ecclesiae persolverint, ut nihil reliquum sit, nec haec persolvendo ea omnia perfecerint, quae boni civis officium postulat.

§. 10.

Quae res causam dederint, ut illa a multis perperam confundantur.

Si quaeras, quid causae fuerit, ut civitas et ecclesia saepenumero, in scriptis et actis publicis, per

---

42) H. Grotius de imperio summarum potestatum circa sacra. (Lutet. Paris. 1647.) cap. II. pag. 25.

errorem confunderentur, videtur mihi tribus maxime ex causis id factum esse. Ac primum quidem odium hierarchiae, deinde speciosa quaedam simplicitas, postremo idealismus politicus, potissimum a tramite veri abduxerunt.

Agamus jam de singulis: 1) Sacerdotium medio aevo summa imis miscuerat, atque tantam summae potestatis partem invaserat, ut immortalem lauream reformatores saeculi decimi sexti sibi pepererint, cum discrimen potestatis ecclesiasticae et potestatis gladii ostenderent, illamque „regna mundi transferre et adimere imperatoribus imperium" non amplius paterentur [43]. Ita civitas adversus ecclesiam in libertatem revocata est. Postea successu temporis de eo quaestio orta est, an, si ecclesiae nihil sit imperii in civitatem, huic forsitan aliquid imperii esse possit in ecclesiam? Inde cogitari coeptum est de jure summi imperii circa sacra, quibus verbis saeculo adhuc XVII. nil amplius significabant, quam ea omnia, quae summo imperanti licita essent in rebus ecclesiasticis, necdum doctores sat accurate distinguebant inter ea, quae illi tanquam principi, et quae tanquam episcopo essent tribuenda [44]. Deinde lapsu saeculi maxime XVIII.

---

43) Confessio Augustana P. II. art. 7. de potestate ecclesiastica.

44) Ita in actis publicis illorum temporum saepissime reperi, et ita verbi gratia in responso cancellarii Brunsuicensis: *von Einrichtung des* juris circa sacra *(in C. Thomasii Rechtshändeln Th. II. H.* 11.*)*, et in Thomasii ipsius Diss. vindiciae juris majestatici circa sacra Hal. 1699., illa vox intelligenda est. Quare perperam est, quod quidam distinguere solent inter jus circa et jus in sacra, quasi il-

eo perventum est, ut ambitus utriusque potestatis circa sacra limitibus certioribus circumscriberetur, et in suas quaeque partes dispescerentur.

Extiterunt Imperatores atque Reges, qui, memores sapientis praecepti imperatorum Arcadii et Honorii in l. 1. C. Theod. de religione (16. 11.): „Quoties de religione agitur, episcopos convenit judicare, ceteras vero causas legibus oportet audiri" [45]), ecclesiam in causis ad religionem ipsam non spectantibus, v. c divortii, a juris dicundi provincia liberarent, sicque inutili quasi pondere, quod rectum ejus incessum impediret, exonerarent.

Haec omnia recte atque laudabiliter instituta censeo, neque si quid a clericis in contrarium ageretur, puto ferendum esse. Sed quemadmodum fieri solet, ut qui ingenti vi aliquod onus summovere conantur, repente inclinato eo in transversum abripiantur, et qui abusus cujusdam pertaesi medelam afferre cupiunt, in contrariam partem facile delinquant, ita etiam hierarchiae osores impetum, quem in sacerdotii fastum et arrogantiam erant facturi, imprudenter in ipsam ec-

---

lud ex eo, quod principi non liceat intrare in interna ecclesiae, descendat; sed potius ita distinguendum est, ut circa sacra, i. e. sacrorum ratione habita, alia jura competant summo imperanti, alia episcopo. Illa in jure summo, majestatico, territoriali, haec in jure episcopali circa sacra sunt posita.

45) Adde Valentiniani III. Novellas Tit. 35. pr.: Constat, episcopos et presbyteros forum legibus non habere, nec de aliis causis, secundum Arcadii et Honorii divalia constituta, quae Theodosianum corpus ostendit, praeter religionem, posse cognoscere.

clesiam convertunt, sicque plane nullam ecclesiam esse, nisi civitatem ipsam, confingunt.

2) Quod autem dixi de speciosa simplicitate, sic accipi velim, in omni indagatione veri simplicitatem quidem quam maxime sequendam, neque nodum in scirpo quaerendum esse, saepenumero vero etiam speciem simplicitatis illius fucatam esse, et pervertere cognitionem veri, siquidem multi, differentias rerum haud satis lucide perspicientes, ignorare illas quam in expediendis laqueis et tricis quaestionis subtilioris ingenii vires consumere malunt: quod nescio an expeditius et dulcius sit, quam rectius. Sic etiam sunt, qui tritissimo illo certamine de eo, utrum ecclesia subsit civitati, an civitas ecclesiae, ad nauseam usque agitati, ense nodum dirimant, dicentes in unum omnia haec confluere, sicque abjectis armis datisque tergis campum deserant.

Denique

3) idealismum politicum dico, si qui omnes ideas perfecti et absoluti, quod in hac vita mortalium esse potest, ad unam quasi metam dirigunt, et in unum focum congerunt, quem appellant civitatem, sive rempublicam, quasi praeter eam nil amore, studio, veneratione mortalium dignum inveniri possit. Magni profecto et generosi animi est, fovere ejusmodi ideas, iisque intentas habere vires ad praestantissima quaeque patranda. Ideoque probo atque collaudo virtutem M. Curtii, qui pro bono publico, sive civitatem, sive rempublicam, sive populum, sive patriam appelles, semet ipsum vitamque devovit. Sed quemadmodum illius factum nobilius notabiliusque fit eo, quod ille templa deorum immortalium in-

tuens et manus nunc ad coelum nunc ad Deos manes porrigens (ut narrat T. Livius hist. Lib. 7. cap. 6.) in profundum se immisit, ita dubium non est, quin praeter ea, quae hisce in terris bona atque optabilia habentur, utique sit aliquid sanctius et sublimius, ad quod Dei immortalis et meriti Christi grata recordatione mentes mortalium se attollunt; nec quicquam majestati terrestris imperii decedere putamus, si ponamus, cultum divinum habere peculiarem fontem, peculiarem finem, et rationes a rationibus reipublicae proprie sic dictae paulo diversas.

Possit quis et quartam causam confusionis illius adjicere, quae est immodica in rebus sacris regnandi cupido, ut, civitatis et ecclesiae differentia sublata, qui imperio civili sunt instructi, commode illo uti possint ad res sacras pro arbitrio constituendas, mutandas, instruendas. Sunt enim, qui illud memorabile dictum imperatorum Theodosii II. et Valentiani III. ad Hormisdam: „Decere arbitramur nostrum imperium, subditos nostros de religione commonefacere" [46]) tam sancte custodiant, ut, quid credere subditi et quomodo Deum colere debeant, praescribere summos imperantes pro lubitu posse arbitrentur. Sed de his infra §. 15. plura dicendi locus erit.

§. 11.

Quae jura ecclesiae et civitati erga se invicem sint tribuenda:

A. ecclesiae erga civitatem.

Quae jura ecclesiae sint in civitatem, brevi com-

46) L. 3. C. Just. de summa trinitate (l. 1.).

prehendam ita, ut dicam omnia jura, quae collegii sunt lege aut principis auctoritate recepti, ecclesiae etiam competere. Ecclesia enim est collegium, corpus (*Corporation*) in civitate receptum [47]). Sic Marcianus l. 1. §. 1. D. de collegiis ait: „Religionis causa coire non prohibentur, dum tamen per hoc non fiat contra Senatus consultum, quo illicita collegia arceantur". Idem l. 3. §. 1. eod.: „In summa, nisi ex Senatusconsulti auctoritate vel Caesaris collegium vel quodcunque tale corpus coierit, contra Sctum et mandata et constitutiones collegium celebrat". Jus autem, quod naturalis ratio ejusmodi collegio licito, et per consequentiam ecclesiae ipsi tribuit,

1) primum in eo positum est, ut secundum mentem et placita sodalium suorum possit facere, quae in rebus ad finem ejus pertinentibus ipsius intersunt. Ita Gajus Jurisconsultus l. 4. eod.: His autem, inquit, potestatem facit lex, pactionem, quam velint, sibi ferre, dum ne quid ex publica lege corrumpant: sive, ut Lex Solonis a Gajo commemorata habet: *ὅ τι ἂν τούτων διαθῶνται πρὸς ἀλλήλους, κύριον εἶναι, ἐὰν μὴ ἀπαγορεύσῃ δημόσια γράμματα.*

2) Alterum est, ut civitas ecclesiam, quatenus et quamdiu ipsis legibus et institutis civilibus non adversatur, pariter ac subditos reliquos, tueatur, juvet atque ab injuriis improborum sospitem praestet.

---

47) Haec ultima verba addo propterea quod, quamdiu ejusmodi collegium receptum sive decreto quodam vel tacita auctoritate summi imperantis admissum non est, et naturali et civili jure difficile est definire, qua lance ejus jura ponderanda sint.

§. 12.

B. Quae sint jura civitatis erga ecclesiam.

I. Primum genus.

Quod autem attinet ad jura civitatis in ecclesiam, haec gradus quosdam admittunt, ut in causis religionis pro re nata tria genera negotiorum discerni possint. Enimvero vel

I. ejusmodi negotia sunt, in quibus civitas suo jure imperio in ecclesiam utitur: vel

II. sunt ejusmodi, quae civitas vicibus et quasi mandato ecclesiae administrat; quod tunc locum capit, quum multitudo eorum, qui eadem sacra sequuntur, in eum numerum accreverit, ut ecclesia semet ipsa commode regere non possit: vel denique sunt

III. talia negotia, in quibus civitati in ecclesiam plane nihil potestatis relinquendum est.

Jam

I. primum genus curam salutis publicae universae in rebus ad ecclesiam spectantibus comprehendit, eoque pertinet jus principis circa sacra, quod in scholis Jurisconsultorum proprie sic appellatur, et tribus maxime in rebus cernitur:

1) jure reformandi, non quidem illo in reformatione, quam nomen indicare videtur, vim suam exserente, sed illo, quod principi tribuit potestatem, ecclesiam nondum intra fines territorii receptam recipiendi, vel receptam prohibendi et dimittendi. Hac autem in re cautissime agendum, neque receptio aliter deneganda aut auctoritas pro aliqua ecclesia interposita retractanda est, quam si contra securitatem publicam, vel contra bonos mores, vel contra reveren-

tiam summo Numini apud omnes gentes debitam illa committat. Nulla enim in re facilius et perniciosius erratur, quam in judicio de rebus divinis ferendo: quumque ii, penes quos summa rerum est, ipsi sint homines mortales, omnino et ipsis cavendum est, ne forte cultum Dei verum pro superstitione, aut religionem rationi consentaneam pro impietate aspernentur.

2) Jus principis circa sacra complectitur etiam jus inspiciendi in sacra, ut avertantur ea, quae si modum excesserint, ad supprimendam ecclesiam vi juris reformandi idoneam causam dare possint. Hoc jus vulgo ita definitur, ut sit jus providendi, ne ab ecclesia respublica quid detrimenti capiat. Sed mihi justo strictius concepta videtur haec definitio, quoniam non solum ea, quae ipsum statum publicum perturbant, et toti rei publicae nocent, locum faciunt juri supremae inspectionis, sed omnis omnino injuria, iniquitas aut perversitas, qua vel universis vel singulis aliquid fit, quod alteri ab altero fieri non oportet. „Videant consules, ne quid respublica detrimenti capiat": ita decrevit Senatus Romanus, quum in summum discrimen res adducta esset. Ecclesiae vero frena sunt injicienda, quoties vel leviores turbulas ciere, vel probris et conviciis in alios invehi, vel ultra modum se efferre, vel vim injustam facere, vel ullo modo potestate ecclesiastica in fraudem civium abuti voluerit. Quod quanquam a genuina ecclesiae natura prorsus alienum sit, tamen vitio eorum, qui ipsi praesunt aut inserviunt, vel etiam caeco superstitiosae et effrenatae multitudinis impetu committi potest, saepe etiam, teste historia, commissum est.

Denique accedit

3) jus, ut barbare dicunt, advocatiae in ecclesiam, quoniam non solum officium incumbit imperanti, ecclesiam admissam tuendi, verum etiam potestas ei concedenda est, ea adhibendi, quae ad auxilium illi ferendum necessaria sunt. Nam qui ad finem pervenire vult, velle etiam debet ea, quibus pervenitur. Si v. c. subsidia ex aerario publico suppeditantur ad sublevandam ecclesiam et sumtus cultus divini parandos, jure suo princeps vel quos aerario publico ille praefecit, rationes exigunt illius pecuniae, ut appareat, an recte impensa sit. Praeterea in universum tenendum est, non modo adversus hostes externos ecclesiam esse tuendam, sed saepe etiam ab injuriis suorum, qui in propria ipsius viscera saeviunt, defendendam, eamque defensionem, si res liqueat et plurima pars consentiat, recte suscipi a civitate

§. 13.

II. Alterum genus.

II. Alterum genus comprehendit curam rerum ecclesiasticarum internam. Quod de hoc genere supra diximus, utique cum grano salis accipiendum est. Quamdiu enim ecclesia paucorum numero continetur, ut immensa aliorum civium multitudine longe superetur et quasi absorbeatur, nil impedit, quominus paucis suorum electis, quorum conventus synodos vocare solent, administrationem rerum suarum demandet. Postquam autem doctrina et cultus ejusdem ita increbuit, et per omnes partes reipublicae se divulgavit, ut jam pauci tantummodo, qui alia sacra sequantur, supersint, et ecclesia jam mole laboret sua, non amplius consilii neque rationis est, ejusmodi forma regiminis eccle-

siastici uti, sed alio moderamine opus est, quo omnia ordine fiant et ecclesiae negotia utiliter gerantnr [48]. Et quum imperium civile ita sit comparatum, ut optime securitati atque saluti omnium consulat, haec res argumento est, imperii civilis ope atqne auxilio ecclesiae quoque negotia tutissime atque commodissime administratum iri. Inde necesse est, civitatem partes suas interponere, et non solum bonorum atque pecuniae ecclesiasticae, sed etiam rerum ad disciplinam sacram pertinentium curam gerere [49].

Sed ut recte haec procedant, duo quam maxime sunt tenenda:

1. imperantem illud regimen ecclesiae non per se ipsum, sed per magistratus in id specialiter institutos, exercere debere, qui
   a) eidem ecclesiae sint addicti, cui praesunt,
   b) ad id expressis verbis obstringantur, ut saluti ejus ecclesiae pro viribus consulant, et doctrinae statutisque ipsius convenienter agant, et
   c) cum theologis ejusdem fidei, rerum divi-

---

48) Quanquam ad consultandum et deliberandum synodos utilissime adhiberi, maxime si de doctrina religionis, de formulis sacris atque cerimoniis agatur, nullo modo negaverim. Sed ea de re hujus loci non est disputare.

49) Quod si per se necessarium est, non opus erit, potestatem ecclesiasticam principum evangelicorum a mandato vero, ab ecclesia tempore sacrorum reformatorum principibus dato, ut vulgo fieri solet, repetere. Certe hoc argumentum vim suam perditurum est cessantibus causis, quae illi mandato tum temporis originem dederunt.

narum peritissimis atque muneris demandati sociis, consilia ineant.

Deinde tenendum est

2. magistratum politicum minime suo jure, sed quasi mandato ecclesiae, ut qui tutelam ipsius in se receperit, res ejus administrare.

Audio jam voces clamitantium et indigne factum increpantium, quod ego ecclesiam tutelae civitatis subjecerim. Sed salva res est. Neque enim heri, neque praeceptoris, nec paedagogi nec ludi magistri partes hoc modo civitati in ecclesiam deferuntur, sed solummodo tutoris, qui res pupilli ut bonus paterfamilias administrat, in jure eum defendit, atque cavet, ne ille per imbecillitatem et fervorem aetatis aut rerum forensium incuriam labatur sibique ipsi noceat. Nec tanta personarum unitas inter utrumque intercedit, ut tutor pro pupillo edere, bibere, spirare, ambulare et cogitare, vel ei, quid credere aut amare debeat, imperare possit, sed haec omnia pupillo, ut homini libero, salva et illibata manent. Neque ecclesia ullam dignitatis jacturam facit eo, quod tutelae naturali potestatis civilis subjicitur, dummodo meminerimus, pupillum saepissime vel nobiliorem esse tutore, sed ab illo destitutum facile indigna pati, temere ferri atque omnibus ad veram dignitatem sustinendam necessariis egere: quod factum scimus ecclesiae, quam respublica non curat, in America septentrionali.

§. 14.

Continuatio.

Quum autem jus episcopale, inspectionem atque administrationem ecclesiasticam hoc modo ad civitatem

retulerim, probe quidem scio, a statutis ecclesiae Romano Catholicae, cui omnia alia magis placent, me longe discedere. Quod hoc loco eo minus silentio praetereundum censui, quo diligentius in superioribus hujus disputationis capitibus curavi, ut verba mea in universas Christianorum ecclesias pariter quadrarent, idque in sequentibus aeque facturus sum. Sed ubique naturalem rationem ducem secutus, quae privilegiatum ordinem clericorum, imperio ecclesiastico quasi coelitus ornatum atque instructum, non agnoscit, in praesentibus veritate ipsa urgente in eam partem secessum feci, quam Protestantium schola sibi occupavit.

§. 15.

III. Tertium genus causarum.

Restat ut

III., de iis videamus, quae ab omni potestate politica sunt exemta. Cujusmodi sunt omnia, quae conscientiam et internam veri cognitionem tangunt (*Gewissenssachen*), vel, ut apertius loquar, dogmata de Deo, de Christo et de reliquis doctrinae sacrae capitibus, modus Deum colendi, et ritus sacri [50]).

In his summo imperanti neque per se neque per magistratus ecclesiasticos ullum jubendi aut cogendi jus est. Imo neque in fundamentis doctrinae neque in adiaphoris quicquam mutare vel mutatum in veterem statum reducere potest, nisi omnibus vel saltem longe plurimis ecclesiae membris consentientibus; qui con-

---

50) Modo — id enim per se patet — sint innoxii. Nam si qui forte sanguine humano immolare vel sacra incasta celebrare voluerint, haec secundum ea, quae supra §. 12. sub 1. 2. et 3. diximus, non erunt toleranda.

sensus multis ex rebus, quae antea diligentissime sunt ponderandae, intelligitur; et si tali consensu adminiculante mutatio fiat, licet paucissimi dissentiant, tamen et hi paucissimi, ut placitis plurimorum obtemperent, non vi adigi debent, sed condonandum eis est, ut antiqua probent, et suos ritus, suam doctrinam servent, donec comiter monendo, docendo, suadendo, in alia adducantur [51]).

Haec sunt jura vere collegialia ecclesiae, in quibus vera illa et intemerata libertas religionis quam maxime cernitur. Hinc jus liturgicum principi absque consensu ecclesiae nullo pacto competit [52]).

§. 16.

Quaenam doctrina magis expediat?

Ex his, quae proxime diximus, apparet, civitatem et ecclesiam, licet multis modis inter se conjuncta, tamen diversa inter se esse. Sed cum hucusque de eo tantum disseruimus, quid hac in re veritati et juris principiis conveniat, haud alienum erit, pragmatico-

---

51) Excipiendae sunt modo dissensiones inter eos obortae, qui unum coetum faciunt, et uno eodemque templo conveniunt. In his enim, si v. c. alii novis et emendatis, alii antiquitus receptis canticis et hymnis uti velint, plurima vota valent, propterea quod uno eodemque loco et tempore diversis uti plane non possunt. Ita sapientissime cautum est in Saxonia Regia. *C. G. v. Weber Kirchenrecht Th. II. Abth I. p.* 72—74.

52) cf. *Ueber das liturgische Recht der evangel. Landesfürsten, in der Allgem. Kirchenzeit.* 1826. *no.* 13. C. C. Schmidt Diss. de jure liturgico principis evangelici. Lips. 1826. 4.

rum more etiam inquirere, quid magis expediat, quid utilius atque consilio de optuma reipublicae conditione accommodatius sit. Faciamus igitur, argumentis adversariorum tantum inesse, ut haud plane reprobari debeant. Tamen hoc nobis persuasum habemus, doctrinam illorum longe difficiliorem esse intellectu, quam ut ab hominibus nostri aevi satis perspici atque in usum vitae sapienter converti queat. Forsitan post secula, cum orbes solis per astra zodiaci centies et amplius circumacti fuerint, et aequinoctia per aliquot gradus in interiora aquarii atque leonis recesserint, tantum sapient hominum ingenia, ut etiam implicitam illam doctrinam de absoluta civitatis atque ecclesiae unitate assequantur. Tum scilicet absque periculo, aut, si malis, absque summo generis humani detrimento e tectis proclamare licebit, ecclesiam nil esse nisi institutum civile, atque religionis exercitium in catalogum rerum utilitatis publicae gratia adinventarum pariter referendum, ac tribunalia, scholas medicorum, artificum, palaestras, exercitus, commercia, agrorum culturam. Nos quidem non ita creduli sumus, ut hoc speremus. Sed ut largiamur illis hanc spem, veremur tamen, ne nunc, quae est seculi indoles, non modo indocti et inculti, sed adeo eorum plurimi, qui ultra vulgus sapere sibi videntur, quum ad ista castra se contulerint, tam ineptos exinde laturi sint fructus, ut novam sapientiam priscae pietatis jactura mercentur. Quum enim dignitatem reipublicae velint extollere, ecclesiae finem atque dignitatem ei vindicando, facient id quidem, sed inverso ordine, ita ut deprimant cultum deorum inter res vulgares, et detrahant ecclesiae tantum dignitatis, quantum illi adjecerint. Sacra pro-

fanis, divina humanis miscebunt, et templum atque curiam, sacramenta atque opificia, aram, qua Deo vota fiunt atque mensam, qua publica vectigalia recipiuntur, ejusdem farinae habebunt. Tantum abest, ut nostri homines ejusmodi absolutam et puram civitatis imaginem, quae ad coelum usque assurgat, mente sua concipere possint, ut potius imagini ecclesiae omnia ea sint adspersuri, quae in rebus ad negotia civilia pertinentibus odio habent. Ecclesiam a religione discernere ignari, huic non amplius concedent sanctitatem, quae illi denegata erit. In summo vitae discrimine, in aerumnis, in luctu, cui nihil solatii neque praesidii reliquum est, nisi in spe vitae aeternae atque fiducia gratiae divinae, redibunt quidem ad lucem affulgentem etiam iis, quibus nulla amplius in rebus humanis conditio, neque in civitate statio relicta est. Sed illud solatium, haec lux ab illa doctrina longe aliena sunt. Pietas enim in Deum proprias agit radices et suo eget solo, quo deficiente nec ulla ars politica substratis suis efficere poterit, ut illa laete salubriterque progerminet [53]).

Non me fugit, multos in ea esse sententia, ut quae reverentiae rebus sacris habendae sensim sensimque in animis hominum detrahantur, institutione idonea puerorum atque puellarum in scholis compensari posse sibi persuadeant. Est decus atque laus seculi nostri, patrocinari institutioni publicae, et si quid est, quod Deo optimo maximo placere possit, hoc

---

53) *Das Volk muss aufhören, Religion zu haben, wenn ihm die Quellen der Pietät verschlossen werden.* v. AMMON *Fortbildung des Christenth. zur Weltreligion Th. I. p.* 17.

puto esse studium, teneros juventutis animos sedulo erudiendi, emendandi, atque praeceptis utilibus ad laudabilia quaeque excitandi. Verum enim vero religio non addiscitur, sed est sensus in intimis quasi medullis haerens atque reconditus, qui nisi saepe et iterato piis adhortationibus, precationibus, verbo divino atque cultu divino alatur, reficiatur atque confirmetur, facile paulatim absumitur et quasi exarescit [54]). Sic homines eruditissimi atque politissimi haud raro sunt improbi, quoniam Dei immemores delabuntur in pravas cupiditates, neque remedium improbitatis, quod est in ipsa religione, in promtu habent. Hinc institutio scholastica, si recte se habeat, fundamenta quidem jacit animi pii, morum proborum vitaeque legibus consentaneae; sed ut haec maneant atque perdurent adulta quoque et provectiore aetate, religione opus est, quam tuetur, alit, servat ecclesia. Quo efficitur, ut ecclesia ne momento quidem inferior aut minus necessaria sit, quam schola. *Ταῦτα δεῖ ποιῆσαι, κἀκεῖνα οὐκ ἀφιέναι.*

§. 17.

Consectarium.

Quum multa sint, quae ex supra dictis deduci possint, nos tamen, ne longiores simus, paucis absolvamus, et unum tantummodo, hisce temporibus quam maxime quaeri solitum, commemoremus: Ne scilicet ea, quae universitatis ecclesiasticae nomine sunt agenda, utique per eosdem, qui negotiis universitatis civilibus

---

54) Cf. quae hac de re praeclare dicta leguntur *in Stunden der Andacht Bd.* 7. *Abh.* 1.: *des göttlichen Wortes Macht.*

praesunt operamque navant, sed per peculiares actores, in hunc finem specialiter constitutos, agantur. Etiamsi forte acciderit, ut oppidi aut pagi cives omnes uni eidemque ecclesiae sint addicti, hoc tamen non eo faciet, ut, qui reliqua curent, necessario et ecclesiae negotia gerere debeant. Multi enim sunt, qui ad haec propensi paratique, illorum suscipiendorum excusationem quaerant, non quidem contemtu rei publicae, sed invidiam, laborem, difficultates rerum municipalium, et curas aerarias, tributarias, excubitorias, quaestuarias et quae sunt similia, timentes. Praeterea multi sunt hisce gerendis aptissimi, illis vero procurandis parum idonei, vel contra [55]. Accedit, quod si ad unam ecclesiam plura oppida vel pagi pertineant, vel si ejusdem oppidi vel pagi incolae in rebus divinis diversa sequantur, fieri plane non potest, ut iidem et municipii et ecclesiae nomine agant, sed illo casu nesesse est adjungi legatos exterorum, hoc autem casu plures in eodem loco existunt coitiones religiosae, quarum suos quaeque procuratores suosque evocatos habet, qui videant, ne quid adversus legem atque utilitatem ecclesiae committatur. Quare bene et ad rem accommodate factum est, ut in lege de ordinanda re municipali in regno Saxonico die 2. Febr. 1832 lata §.

---

55) Confer, quae hac de re in comitiis Saxoniae tributis, quae secundam cameram vocant, anno 1834, quum de §. 72. et 73. legis ad rem scholasticam spectantis ageretur, et Summus rei ecclesiasticae atque institutionis publicae Praesul, et orator ordinis agrestis, Zschische, vir et probissimus et veritatis studiosissimus, non minus acute quam perite disputarunt. (*Landtagsmittheil. als ausserord. Beyl. d. Leipz. Zeit. v.* 1834. *no.* 486—487. *p.* 5336—5338.)

275—277. junct. §. 216. administratio bonorum ad ecclesias pertinentium delegatis peculiaribus, partim ex decurionum ordine partim ex tribunorum municipalium numero eligendis demandaretur, adhibitis exteris ecclesiae sociis et exclusis ejusdem oppidi civibus alienae fidei addictis. Haud secus mutatis, quae pro diversitate status urbani atque rustici mutanda videbuntur, etiam in ordinandis rebus universitatum rusticarum necesse erit, eos, qui curam rerum ecclesiasticarum suscipiant, a curatoribus universitatum communibus discerni, licet nil impediat, quo minus iidem, si sint idonei, ad utrumque negotium deligantur.

Corollarium.

Expungenda est opinio existimantium, templa, altaria, vasa sacra, agros, saltus aliaque bona ecclesiastica ita esse in patrimonio universitatis, ut si haec in plures partes dissolvatur, illorum quoque divisio facienda sit. Mihi omnia alia magis placent. Etenim quae Dei colendi causa instituta sunt, non unice in favorem quorundam hominum, ut his quasi per aes et libram mancipentur, sed ea de causa instituta sunt, ut aliquo in loco Deus colatur. Quare antiquitus receptum est, ut non modo collegia, sodalitia et civitates, sed etiam pia corpora, et omnium maxime ecclesiae, personae moralis jure gauderent [56]). Dominium igitur rerum ecclesiasticarum est penes ecclesiam, tanquam piam causam, non autem penes cives, qui tan-

---

56) *Rosshirt über juristische Personen: im Archiv für die civilistische Praxis Th. X. Abh.* 13. *S.* 313 *ff.*

tum utuntur iis ad opus sacrum ex fide, quam ipsi profitentur, faciendum. Alioquin illud quoque dici posset, si cives relictis penatibus plane exire e civitate voluerint, communi dividundo judicio facto suam quemque partem rerum illarum ferre debere. Quod plus quam absurdum esset. Differunt enim piae causae a rebus pariter atque ab hominibus, quorum beneficio institutae sunt. Quod etiam experientia docet. Sunt enim templa, quibus nulla certa paroecia assignata est (utputa templum beatae Sophiae in urbe Dresda, atque templum cathedrale Misnense), et tamen conservantur, ut, quisquis fidelium voluerit, ibi Deum adorare possit. Sunt etiam sacella, oratoria, capellae, — apud gentiles fana atque delubra audiebant — hunc in finem pio animo dicata, ut advenarum et peregrinantium quisque vel in itinere reperiat locum sacratum, quo Deum invocare atque animum curis exagitatum coelesti solatio reficere queat. Quos priscae atque devotioris gentis mortalium venerabiles reliquias haud despiciendas censeo, non quasi is ego sim, qui in devotione nimia atque superstitiosa salutem generis humani quaeram, sed ne serpat atque juvetur opinio multo pejor, instrumenta pietatis esse in commercio, et templa hominibus mortalibus, non Deo ipsi, esse sacra.

CONSPECTUS

ARGUMENTI LIBELLI.

CORRIGENDA.

Pag.	IV.	lin. 6.	leg.	IV.	pro	II.
-	VIII.	- 3.	-	quem	-	quam.
-	3.	- 3.	-	omnem	-	omnam.
-	7.	- 6—7.	-	par - oecia.		
-	32.	- 9—10.	-	dis - cernere.		